


LVNÆ DIE 17 M. APRILIS A. 2006

A.d. XV Kal. Maias a. MMVI

I 3 I

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.llicoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

AD LECTOREM

DE DEO CAPTO

« *Variorum deorum cultus, qui in Imperio Romano accipiebantur, a plebe habebantur veri, a philosophis falsi et a magistratibus utiles.* »

Edward Gibbon, (1737-1794), *The History of the Decline and Fall of the Roman Empire*.

Hora sexta postmeridiana iuvenis mulier Bruxellensem Domum Erasmianam relinquit et proximam stationem traminis metropolitani petit. Statio Sancti Vidonis est ampla et lauta ; per scalaria volubilia accessus datur ad subterraneam crepidinem. Atrium vacuum est, cum hæc elegans mulier, dum sola descendit, tres adulescentes Mauros iuxta ima scalaria stantes adspicit. Quid ibi exspectant ? Statim satis perterrita putat eos perulam suam erupturos esse. Iam felix erit, nisi cultrum adhibebunt ! Nullum auxilium in proximo ; satis longe enim absunt viatores, qui in crepidine tramen exspectant. Cum ad pedeplana pervenit, ab adulescentibus circumdatur, qui incipiunt verba obscaena ad eam proferre. Mulier timorem non ostendit ; subridens inter adulescentes transit et feliciter, sed inexspectate, crepidinem petit incolumis. Hæc est hodierna vita cottidiana !

Ante nonnullos menses, in Dania, scriptor quidam, librum puerilem de Mahumeto editurus, dolet quod neminem invenit, qui hoc opus delineamentis illustrare velit ; delineatores enim, ob cædem Nederlandi cinematographi Theophili Van Gogh anno 2004 religiosis causa commissam, metu deterrentur quin de re Mahumetana tractent. Tunc quoddam diarium Danicum delineatores provocat ad metum superandum, sed duodecim tantum respondent et gryllum mittunt, qui in diario divulgetur. Sex diebus post, legati undecim civitatum Mahumetanarum primarium Danorum ministrum adeunt, petentes ut poenas luant auctores tanti sacrilegii. Ab eo tamen legati non recipiuntur, cum nullam potestatem habeat libertatem preli cohendi ; talis enim nunc est status cultus, qui dicitur Occidentalis.

Hoc est initium inexspectatae rei amplificationis. Ministri ab externis negotiis Ligæ Arabicæ, Cairum congregati, condemnant hos gryllos, quibus offenduntur sanctitas religionum prophetarumque et nobiles valores Islamicci. Duces religiosi plebem incendunt non solum in regionibus Arabicis, sed etiam apud gentes non Arabicas, usque ad Indonesiam. Regimina non impediunt quominus legationes occidentales diripiantur et incendantur fiantque alia facinora...

Hæc sunt facta ; sed quæ sit causa tantæ animi commotionis, dignum est ut meditemur. Manifesto cultus Mahumetanus, religioni adhuc severe adstrictus, congruere non potest cum Occidentali cultu hodierno, qui iam non vocatur Christianus, cum vere laicus factus sit. Gentes Mahumetanæ complexum inferioritatis habent erga modernitatem sibi inaccessiblem et frus-

trationem ægre patiuntur, videre nolentes originem frustrationis magnam partem esse in ipso cultu Mahumetano.


Hodierni Occidentales Mahumetanas gentes melius intellegere possint, si sui cultus mutationes respiciant. In antiquo orbe Romano exculti homines stomachabantur superbia Iudeorum, qui Deum sibi caperent ; ubique tamen Iudeis licebat suos mores cultumque servare, quia Romani gentiles singularitates respiciebant. Eadem non erat Christianorum condicio ; ii enim Romanis videbantur Iudeorum similes, quod spectat ad Dei captationem, sed Christiani non pertinebant ad certam gentem, quippe qui ex omnibus imperii gentibus oriorentur ; inde timendum erat ne totum imperium everteretur.

Christiani, postquam ab imperatore Constantino in civitatem accepti sunt, suam fidem doctrinamque ceteris civibus vi gradatim imposuerunt ; Hellenismi libertas cogitandi extincta erat in multa sæcula. Omnia fiebant nomine Dei, qualis captus et fictus erat a Christianismo ; hominum vita adstringebatur regulis arbitrariis ; viro inferior habebatur femina, quæ ei parere debebat.

Numquam tamen Christianismus funditus extinxit Græco-Romanum cultum, qui mirum in modum resurrexit tempore Renatarum Litterarum. Inde scientiae rationales ita crescere et florere cœperunt, ut civitatibus Occidentalibus summam potentiam darent in toto orbe terrarum. Eodem tempore homines paulatim liberabantur a regulis Christianismi. Ultimus gradus idemque recentissimus fuit æqualitas viri et feminæ, qualis antea numquam fuerat. In hodierno cultu Occidentali femina facta est arbitra procreationis, quod est summum eius liberationis.

Nonnullis sæculis post Christianismum apparuit Islamismus, iterum Iudaismi proles ; eius propheta Mahumetus novam Dei revelationem afferebat, quæ et Iudaismum et Christianismum refutabat ; Deum sibi soli capiebat. Inevitabilis erat conflictus Christianismi et Islamismi, qui nondum est ubique extinctus. Recentioribus temporibus Islamismus non mitigatus est ; contra suas arbitrarias vitæ regulas strictissime imponere pergit.

Sunt tamen Mahumetani, qui criticam historicam suæ religionis facere velint et se liberare ab obsoletis vitæ regulis, sed hoc perdifficile est, cum per ipsam religionem liceat dissentientes interficere. Bonum exemplum est Ayaan Hirsi Ali, femina Mahumetana ex Somalia oriunda, quæ nunc ut delegata sedet in parla-



'Αλεξαμενὸς σέβεται θεόν – *Alexamenos deum veneratur.*
Hic gryllus, tertio saeculo delineatus, in monte Palatino repertus est. Alexamenos orans a sinistris ostenditur, deo est facies asini. Mos religionis deridendae iam antiquitus exstitit.

mento Nederlandiæ. In libro *Indomita*¹ inscripto ea mulier explanat cur ab Islamismo dissentiens facta sit. Modo Berolinum invitata est ad acroasin faciendam de Mahumeti gryllis. Tunc dixit inter alia hæc : « Huc veni ad libertatem preli defendendam ; est enim condicio sine qua non vitæ regiminis democratici ; in hac libertate includitur ius offendendi, salvo tantum personæ respectu ; nulla opinio, nulla fides religiosa est per se respicienda ; oportet liceat omnia et reprehendere et deridere. Ego existimo Prophetam eiusque doctrinam non esse supra criticam. Ego censeo Mahumetum erravisse, cum dixisset feminam viro submittendam esse, homosexuales interficiendos, apostatas necandos, adulteras lapidandas et fures manibus orbandos. Erravit etiam gaudia paradisi promittendo eis, qui pro Islam morerentur. Denique erravit autumans probam societatem humanam sua doctrina niti posse. »

Optandum est ut plures in dies Mahumetani eodem modo cogitent et suam opinionem palam exprimere audeant. Hac una condicione eorum societas progressus facere poterit et a frustratione liberabitur.

Cum iuvenes Mahumetani in vii ambulabunt cum puellis et non, ut nunc faciunt, gregatim et tantum inter viros, graciles feminæ scalas metropolitani descendenter tranquilliores... ☺

i. Ayaan Hirsi Ali, *Insoumise*, traduit du néerlandais, Laffont, 2005.

DE VILLA HADRIANA (II)

- *scripsit Gaius Licoppe* -

Eporticu circulari eximus per scalas, quæ ducunt in « Aulam Bibliothecarum ». Hoc nomen improprie datum est, cum « Bibliothecæ » ad eam non spectent ; propter murorum opus insertum archaeologi suspicantur eam fuisse peristylum villæ prioris ætatis, quod ab Hadriano ita aptatum est, ut accessus daret in « Triclinium Imperiale », in « Hospitalia », in « Domum Imperiale » et in « Thermas cum Heliocamino ». In peristyli latere septentrionali est nymphæum, etiam prioris ætatis, cui superpositum est immissarium, manifesto ad vim aquarum salientium augendam. Complura nymphæa erant in villa et multæ aquæ salientes.

« Bibliothecæ Græca et Latina » re vera non sunt bibliothecæ, sed de usu horum ædificiorum tabulatis præditorum inter doctis disputatur sine ullo certo exitu.

« Triclinium Imperiale », cuius solum operibus musivis pulchris, sed tantum bicoloribus, ornatum est, certe non destinatum erat imperatori, sed potius ministris medii gradus, ut ducibus cohortis prætorianæ. Idem dicendum est de « Hospitalibus », quorum singula cubicula, etiam bicoloribus operibus musivis ornata, ternis lectis erant prædicta.

Contra idem non est dicendum de « Thermis cum Heliocamino », quæ primæ in villa exstructæ sunt, manifesto ad usum imperatoris eiusque familiarium. Præditæ sunt magno ceco circulari, quem tegit latus tholus lacunatus, partim servatus. Huius modi coccus vocatur heliocaminus (Græce κάμινος significat furnum), quia sol eum calefacit per rotundum ostium summi tholi ; hic insuper erant vitreæ fenestræ, quibus augebatur solis effectus ; nam a primo sæculo p.Ch.n. parva vitra plana confici coëpta sunt, quæ in fenestris coamentabantur replo aeneo vel ferreo. Præter solem vapor per tubos inflatus oecum calefaciebat, qui ergo putatur fuisse sudatio.



Pars servata tholi Heliocamini.

« Domus Imperialis » ædificata est in ipsa villa prioris ætatis, cuius complures structuræ inclusæ sunt in Hadriani ædificio. Nobis non licuit eius ruinas invisere propter effossiones et restaurationes. Scimus tamen ab Aula Bibliothecarum aditum principalem Domus Imperialis per scalas peti. Hæc domus constabat e pluribus ædificiis, hortis et peristylis, sed propter priores expilationes et hodiernas imperfectas effossiones archaeologicas non plane scimus qualis fuerit usus partium tectorum.

Œcus quadrangulus videtur fuisse bibliotheca, quia multi loculi in parietibus instructi sunt, idonei ad volumina accipienda. Alius magnus œcus cum abside et tribus spatiis duobus columnarum ordinibus divisus vocatur « Triclinium Centaurorum » propter opus musivum, quo fingitur pugna Centaurorum cum feriis bestiis ; solum enim mirum in modum ornatum erat multicoloribus operibus musivis nunc in varia musea dispersis ; opus Centaurorum servatur in museo Berolinensi, alia sunt in museo Vaticano. Triclinium Centaurorum manifesto non erat triclinium, sed alias vicinus œcus idemque concameratus et stibadio præditus erat vera cenatio æstiva, ubi æstus temperabatur multis aquis salientibus.

Iuxta hanc æstivam cenationem est « Ædificium cum pilis Doricis », i.e. aula porticu concamerata circumdata, quam sustinebant pilæ canaliculatæ cum epistylis Doricis ; solum et muri tegebantur tabulis marmoreis.



Nonnullæ pilæ ante semisæculum restauratæ sunt.

Per hanc aulam accessus dabatur in « Ædificium cum piscina » et « Plateam auratam ». Ædificium cum piscina videtur fuisse cor domus imperialis ; constabat enim e tribus zonis, in quarum superiori erat magnus œcus suspensura calefactus, unde prospectus mire patebat in hortum Pœciles et in agros Romanos versus.

His de causis archæologi putant ibi fuisse Hadriani mansionem hibernam. In eodem tabulato est oculus cum suggestu inter duas columnas instructo, ubi putantur postulantes ad aurem imperatoris admissi esse. Iuxta hoc ædificium est magna piscina rectangula olim statuarum corona circumdata.

« Platea aurata » sic vocata est propter loci lautias, quas infeliciter videre iam non possumus, sed quas nobis fingere debemus ex ornationis fragmentis hic illuc inventis et ex multis marmoreis signis, columnis capitellisque ibi a sexto decimo sæculo repertis, quæ nunc in diversa musea sunt dispersa. Architectura diversarum partium est tum diversitate cum novitate insignis. Vestibulum octagonum tegebatur tholo octies plicato, cuius superest dimidia pars. Post vestibulum patebat ampla quadriporticus, hortum et longum lacum circumdans. Adversus vestibulum porticus accessum dabant in præstans multiplexque ædificium, cuius in medio erant amplæ scalæ, sive sub divo, sive sub tecto vel tholo positæ, nescimus ; in utroque latere symmetrice instructi erant magni oeci circa atrium dispositi ; ultra scalas intima pars constabat ex nymphæo hemicyclio. Platea Aurea videtur destinata esse ad epulas multorum convivarum.



Caput Sabinæ, Hadriani uxor.

Inter signa in Platea Aurata inventa sunt imagines Sabinæ, Hadriani uxor, Marci Aurelii et Caracallæ, quo non solum demonstratur hanc plateam ad nobilissimam villæ partem pertinuisse, sed etiam villam ipsam mansionem successorum Hadriani quoque fuisse.

Præterimus Thermas Minores et Maiores. Minores numerantur inter splendidissima villæ ædificia ; ea verisimiliter frequentabat ipse imperator. Contra, Maiores, totius villæ longe maximæ, sed minus ornatæ quam minores, videntur a ministris adhibitæ esse.



Maiorum thermarum immanitas melius percipitur, si eas comparamus cum plaustello trusatili, quod appetit in inferiore imaginis margine.

Ambulatio nostra finitur locum lustrando, qui solus videtur vere congruere cum nomine ab Ælio Spartiano citato, i.e. « Canopus ».



Despectus in Canopi euripum.

Canopus, Ægyptiacum oppidum cum Alexandria euripo coniunctum, clarus erat propter Serapidis templum et festivas celebrationes nocturnas. Ad locum Ægyptiacum imitandum euripus 119 metra longus, partim in valle naturali, partim in topho excavato instrutus, dicit ad ædificium « Serapeum » vocatum. Euripus non inventus est ante medium vicesimum sæculum ; tunc, cum eruderaretur, multæ statuæ, columnæ et aliæ marmoreæ partes inventæ sunt, quæ olim euripi ripam ornabant et hodie iterum ornant.



Canopi columnæ et statuæ iterum erectæ.

Hac ipsa de causa ibi melius quam in ceteris locis illustrantur villæ elegantiæ ; non mirum ergo si Canopus amatissimus est nostris coævis.

Canopi euripus dicit ad Serapeum, quod re vera non erat templum, sed cenatio æstiva, cuius stibadium bene servatum est ; de tholo, quo cenatio tegebatur, defluebat, instar aulæi, lamina aquarum ad aerem refrigerandum.



Stibadium, i.e. lectus semicirculus ubi accumbebant cenatores.

Perfecta lustratione, dum discedimus, cogitamus de Francogalliæ rege, Ludovico XIV, qui quindecim sæculis post Hadrianum, etiam medium urbem reliquit et splendidissimum palatium extra muros, Versaliis scilicet, exstruendum curavit, ubi sedem regiminis collocavit. Quanta differentia inter has duas domos regias ! Hadrianus aspectum exteriorem non curavit ; villæ

membra maximam varietatem architecturalem ostendunt, quorum elegantiæ solum interiores sunt. Versaliis contra ingens unicumque ædificium frontem magnificam symmetramque præbet ; uno maximo horto circumdatur, cum apud Hadrianum multi variique horti compluribus ædificiis intermisceantur.

Quis, Hadrianus an Ludovicus, commodiore vita fructus sit, nobis facile fingere possumus. Hadrianus et Ludovicus ambo fruebantur omnibus bonis terrestribus, quæ potentia pecuniaque conferre possunt, sed Hadrianus, corpore libero in ampla veste, ambulabat inter homines, qui omnes, etiam servi, cottidie thermis utebantur, cum Ludovicus, in palatio balneo carenti, illautus splendidaque sed gravi veste impeditus, aulicorum, ministrorum suumque fœtorem myris obtendere deberet... ■

DE CONDICONIBVS VSVS LINGVARVM SOCIALIBVS AD VIVAM LATINITATEM QVOQVE PERTINENTIBVS (II)

- scripsit Lucas Willemarck -

Virtus cum semper in medio sit, necesse est neque debitum neque factum sola auctoritate prævaleat, quod si fieret, dubitare debet nemo quin sive somnia vana persequeremur, vero mundo neglecto, sive spem omnem progressus deposituri fuerimus, vero mundo accepto quasi a fato esset impositus.

Ut differentiam bene mente complectamur oportet ethicam ac veritatem dignoscere, quarum altera ad veritatem probandam quærerit utrum propositio quibus re vera sunt consentiat necne, altera ad ethicam probandam quærerit utrum propositum æquum et iustum nec non rationale sit necne, ratione finium habita, quos quisque consequi voluerit.

Analogia probationis eo continetur quod neque de veritate neque de ethica ulla valet conclusio nisi argumentis rationalibus omnibus in utramque partem disputationis.

Quocumque res se habet, propositum ethicum, cum universale sit atque omnibus imponendum iisdem in conditionibus versantibus, ceteris paribus, probandum est argumentis, quæ ab omnibus, quorum interest recte facere, accipiuntur neque sine discrimine rationis servandæ recusari possint.

Talia argumenta rationalia habentur, dummodo non alicuius iræ vel metui fortuito convenient, sed unicuique accipienda videntur sine ira et studio rem ad maiorem omnium utilitatem existimanti.

J. ille Rawls unus præstantissimus philosophus Americanus præcipit ut æquabilitatis causa consilia de rebus civitatis iustissime gerendis quasi sub velo ignorantiae capiantur a subiectis nescientibus quid futurum sit, qua fortuna fructuri, quo malo laboraturi, qui post rationem omnium, quæ ullo modo fieri possint redditam, suum cuique tribuendo, civitatem vel iustissimam efficaciter conentur.

Si quis autem illa principia ad usum linguarum ordinandum adhibuerit, quos sibi fines consequendos proposuerit, eos, argumentis persuasoriis prolatis, oportet auditores sine ira et studio existimantes accipiant, non quod rebus ipsis consentiant, sed quod omnibus laudabiles iusti atque opportuni ad rem efficiendam videantur.

Fines vero cum variæ sint naturæ atque interdum inter se pugnant, ordinandi sunt effectus eorum cum bonos tum malos existimando. Quæ existimatio quatuor normis nititur quarum duæ ad res efficiendas vel vitandas spectant, ceteræ ad facultatem vel ipsam voluntatem finis propositi re vera exsequendi.

VIII - DE NORMIS ADHIBENDIS

A - *De rebus optatissimis*

Primæ normæ edictum præcipit ut quæ magni facimus ea potissimum ad effectum adducantur.

Britannorum Francogallorumve civitas lingua per totum fere orbem terrarum cognita utitur, apud alios denique usus dicendi sæpe in lingua minoris momenti vix extra fines nota positus est, civium postremo vota a finibus civitates regentium sæpe differunt, ut suum quisque genus dicendi promovere soleat.

Ut Britanni exempli gratia æquitatem linguarum servandam non flocci faciunt, ita civitates minores proprii cultus civilis servandi causa suæ ipsarum præser-tim linguae favent.

Hac autem in re non agitur de linguarum sed de locutorum iuribus, quippe quæ non ad linguas sed ad homines tantum pertineant.

Ut supra iam memoravimus, etsi suprema lingua-rum æqualitas nonnullis in temporibus stricte servanda est, sicut in parlamento Europæo, ne civium æqualitas lœdatur, aliis in temporibus necessitas iustitiæ lingua-rum vix urget, sicut in coetibus legatorum unionis Europææ, ubi res tantum anglice vel francogallice aguntur, quod nullum est periculum ne alicius iura lœdantur.

Facile fieri etiam potest ut civium desideria et civitatis leges de lingua adhibenda inter se pugnant. Exempli gratia mercatores lucri causa sæpe anglicam linguam aliis anteponunt etiam in operibus culturae artiumque promovendis, etsi regentes legum vi suæ civitatis linguam tueri conantur. Quæ vero leges, si civium desideriis nimis contrariae habentur, propter vim deficientem vix adhibentur.

Doctrinam ludorum supra iam memoratam adhibentes cives sæpe efficacitatis causa linguam maioris momenti, anglicam videlicet, usui loquendi a natione comprobato, atque etiam a regentibus promoto et legis vi defenso, præferunt.

Timendum est, quod ad latinitatem spectat, ne rem publicam regentium neque civium multum intersit latinam promovere linguam. Etsi re vera vel rarissime evenit ut in Parlamento Europæo orationes latinæ haberentur, institutione tamen latina iam multos annos infelicitate neglecta, nemo reapse credit fieri posse ut lingua latina in pristinam gloriam restituatur ad maiores omnium Europæorum utilitatem.

Nihilominus vivæ latinitatis fautorum numero in dies crescente, dubitari non potest quin sint qui huic antiquo mori loquendi faveant, licet non ipsa utilitate, quippe quæ minoris momenti ducatur, moveantur sed potius puro gaudio latine loquendi, quasi esset ludus.

Qua de causa latinitas propter suam ipsius virtutem colenda est, quæ servari non potest nisi eam rite adhuc eris, traditis institutionis præceptis oratoriae retentis.

Quod cum ita sit, quia suum quisque desiderium potissimum ad effectum adducere vult, prima norma adhiberi non potest, nisi antea, argumentis in utramque partem prolati, quæ desideria quibus quam ob causam anteponenda videantur diiudicatum sit.

B - DE REBUS VITANDIS

Secundæ normæ edictum præcipit ut effectus mali, quantum fieri potest, vitentur. Accidit perincommode quod quæ magni facimus sæpius ad effectum adduci non possunt, nisi malis effectibus quoque acceptis. Si ita res se habet decernere oportet, condicionibus temporibusque in utramque partem perpensis, utrum maioris sit ponderis sive optatissima consequi sive nequissima vitare. In linguis autem adhibendis statendum esse videtur utrum æqualitatem omnium servandam pluris æstimemus an usum maioris linguae efficacitatis causa malimus.

In rebus inter gentes agendis sæpiissime fit ut numerus linguarum finiatur sicut in Concilio Europæo, ubi francogallica anglicaque lingua tantum admittitur, vel in Nationibus Unitis, ubi præter illas quattuor aliæ linguae maioris momenti dignæ habentur quæ in foro totius orbis terrarum usurpentur. Ut iam supra memoravimus aliter res se habent in parlamento Europæo ubi uniuscuiusque civitatis lingua adhibetur æqualitatis causa, ut, numero civitatum participum crescente, necessitate cuiusque oratoris verba simul viva voce alias in linguas vertendi urgente, sumptus ultra recte meritoque petita multipliciter producantur. Qui sumptus ut serie geometrica crescentes mox vix contineri poterunt, sic sumptus translationis scriptæ serie arithmeticæ tantum aucti facilius sustinebuntur. Ergo præsertim viva voce simul vertendi causa nimia pecunia erit eroganda, etsi in Parlamento Europæo paucis ante annis iam tertia sumptuum pars pro translatione solvebatur.

Quod cum ita sit, necessitate pecuniaria aliquando urgente, fieri non poterit quin translationes viva voce simul factæ restrigantur linguarum maiorum beneficio, quippe quæ pluribus faciliores sint intellectu.

Sunt etiam qui censeant hac in re æqualitatem servari posse, dummodo ne ulli liceat propter maiorem facilitatem suo ipsius patrio sermone uti, ut exempli gratia Francogalli anglice loqui cogantur vel Angli francogallice. Etsi extra parliamentum necessitas æqualitatis multo minus urget, sicut iam supra dictum est, timendum tamen est ne varia bona, quibus nonnulli

varias ob rationes auctoritatem tribuerint, in discrimine periculi versentur. Nonnullis civitatibus igitur de vitando effectu sunt iudicia habenda, quod cuius civitatis lingua non iam ad commercium omnis generis inter gentes promovendum adhibetur, primum huius auctoritas periculum est ne minuatur, deinde ne cultura haud longe lateque diffundatur, postremo ne quid mercatores detimenti capiant.

Quod si de periculo agitur ne lingua civitatis minoris momenti non iam usurpetur in commercio gentium maioris linguae beneficio, hoc vitari possit, dummodo latinitatem, linguam hereditariam communem omnium Europæorum, quippe quæ nemini proposit, institueris, nisi vero hoc propositum, licet optimum videatur, risum benevolum potius quam firmum adsensum movet.

C - DE EFFICIENDI CURA

Tertiæ normæ edictum præcipit ut quæ varias ob rationes ad effectum adduci non possunt non persequamur, quod nihil est quod regentium auctoritati plus nocet quam propositum vanum atque effectu privatum. Supra iam memoravimus civitates multis modis usum linguarum coercere inter alia ad suum ipsarum cultum civilem servandum. Ius Europæum etsi præsertim libera mercaturam fovet, eandem interdum variis exceptionibus restringit ad propriam culturam subsidiis pecuniariis atque importandi interdictis promovendam.

Quibus interdictis a liberi commercii fautoribus vehementer impugnatibus, propriam promoventibus culturam contra sæpe vires opesque desunt, quibus qui non niti potuerit necesse est adiumentis careat ad interdicta conformanda necessariis idoneisque.

Apud Luxemburgenses exempli gratia fautoribus propriæ culturæ Europææ non contigit, mercatoribus obstantibus, opera culturæ Americanorum quodammodo exceptione legis arcere. Apud Francogallos talis exceptio valet quia indoles eorum Americanis multo minus favet. Ut civitatum easque regentium mores loquendi difficile lege ordinantur, ita, doctrinæ ludorum gratia scimus, singulorum desideriis et civitatis legibus sæpe inter se pugnantibus, cuius provincia quam longissime latissimeque patet, eum loquendi morem, eam linguam inter homines variis patriis sermonibus utentes prævalere.

Quod cum ita sit fieri non potest quin linguæ anglicæ provincia in annos crescat, etiam civitatis regentibus invitis.

Qua de causa oportet, ratione naturæ linguarum habita, quæ attingi non possunt, ea consequi non conemur, sed potius iis studeamus quæ qui recta ratione

concipiverit necesse est ea adipiscatur.

His dictis certe licet atque legitimum est linguis minores tueri multos in modos, dummodo efficiendi utilitatem curaveris atque quæ effici non possunt propter opes deficientes recusaveris. Recte meritoque non-nullis in civitatibus iustitia, institutionis, rei publicæ gerendæ res ad regulam diriguntur qua debitus et vetitus linguarum usus ab usu libero diiudicetur, quia nulla est res publica ubi hac in re arbitraria libertas vigeat, legibus ex libidine imperantibus. Tantum illud ut paucis dicam memoria tenendum est artem politicanam in eo esse positam quod fieri potest. Quod ad latinitatem spectat inter omnes constat neque civitatibus neque civibus, paucissimis exceptis, magnæ esse curæ usum antiquum loquendi promovere. Etsi dolendum, verum est.

D - DE EFFICIENDI VOLUNTATE, SIMULATIONE RECUSATA

Quartæ normæ edictum præcipit ut in rationibus agendi atque regendi æstimandis vera voluntas a simulatione diiudicetur. Bona publica sicut cultus civilis servandus cum magni habeantur, generatim regentibus maximæ est curæ, arte rhetorica multum adiuvante, veras agendi rationes, quippe quæ sæpe parvi ducantur, celare, quod indignæ sint auctoritatis principis. Quia causa cultus civilis servandi pluribus commercio libero augendo anteponenda videtur, voluntas mercatoria lucri alienæ linguæ institutione scilicet anglicæ augendi absconditur sub specie veræ culturæ promovendæ.

Quæ institutio linguæ cum quam plurimo veneat, quia insuper auctoritas rei publicæ erga alios regentes in commercio gentium linguæ gloria simul augetur, nil mirandum est quod res omnis sub specie nobilissima ipsius veræ culturæ agitur. Sæpe enim fit ut specie res nobilissima promoveatur, reapse tamen alia atque vilis ratio prævaleat quandam ob causam sive œconomicam sive politicam celata.

Quæ cum ita sint, nihil est tamen cur ratio quamvis celata non valeat. In rebus politicis vero, si exempli gratia de delectu agitur linguæ maioris momenti in commercio gentium utendæ, oportet rationes non celentur sed aperte in utramque partem disputentur. Suam quoque rationem agendi proponente facilius rectiusque diiudicabitur, quæ argumenta quibus quam ob causam anteponenda videantur.

Quia autem tali in discrimine de auctoritate rei publicæ in rebus gentium gerendis agitur, uniuscuiusque argumenta cum non eiusdem sint ponderis neque habeantur, fieri non potest quin in fine aliæ civitates vtrices, aliæ dignitate deminutæ evadant.

IX - CONCLUSIO

Quod ad usum linguarum spectat inter omnes constat linguam anglicam his diebus omnium primam esse, deinde pluribus placere suam ipsorum melius tueri, postremo multos censere facilitioris communicationis inter gentes causa aliquam linguam maiorem esse descendam.

Ex omnibus supra relatis patet causam linguarum multos in modos causis politicis œconomicisque tam esse iunctam, ut sæpe specie ipsius veræ culturæ promovendæ reapse politica commoda vel œconomica foveantur.

Doctrina ludorum nos docet, suum optimo quoque commodum promovente, frustra nonnullos iis propositis studere quæ, civibus invitis, ad effectum adduci non possunt. Ne vana spe fallamur oportet unaquaque in causa decernere quid optatissimum atque etiam effectu plenum videatur.

Infeliciter optatissima quæque non semper sine aliqui detimento attingi possunt, quia talia, rebus sic stantibus, a temporibus politicis pendent, ut veri beneficiorum delectus, simulatione recusata, necessario sint habendi.

Latinitas tandem, etsi pauci ei favent, nulli tamen civitati nocet, quod sermo patrius est nullius, immo vero omnibus emolumento est, dummodo optimus mos dicendi, præceptis artis oratoria retentis, servetur.

Licet tempora haud secunda sint ad bonam causam promovendam, neque regentibus neque civibus vere faventibus, latinitatis fautoribus nihilominus ad persuadendum non simulatione est opus. ■

POEMATIA GASPARIS MVRTOLÆ (ca. 1570-1624)

IOHANNEM IOVIANVM PONTANVM QVI EST IMITATVS (II)

- quæ proposuit Theodericus Sacré -

v. *Nutrix a sua infantula multa milia basiorum exposcit*¹

Isabellula,			Tam pulchellula,	
pupa bellula,			mea stellula,	
me pauxillulum			es et blandula,	
istis basia			ut si per viam	
labellis tuis,	5		quandoque ititas	
me pauxillulum			aut te portitat ⁸	
istis roridis			in ulnis suis	
rosis. Quid facis,			soror Clœlia,	
meum corculum ?			occursant ⁹ tibi	
Quid, venustula	10		omnes comiter	5
mi ² columbula ?			ac simul volunt	
Quid, ocellule			oscularier	
mi pulchellule ?			suavissimum	
Da mi basium ;			oscillum hoc tuum,	
unum non satis,	15		omnes expetunt	15
non satis duo,			basiarier	
non satis tria :			hoc labellulum	
centum basia			elegantulum	
pange mollia ;			mollicellulum.	
centum basia	20			
pange mellea ;				
nec centum satis :				
horum sed mihi				
mille, dein mihi				
mille et altera	25			
mille, ut non queant				
enumerarier. ³				
O quam dulcia,				
quam suavia				
cor mi substrahunt !	30			
O mi pupula,				
cor mi surpiunt ⁴ ,				
o pupillula,				
pupa bellula,				
pupa blandula,	35			
pupa lactea,				
elegantula,				
cincinnatula,				
delicatula ⁵ ,				
mollicellula	40			
Isabellula.				

vi. *Tam formosam suam⁶ infantulam asserit, ut omnes illam velint suaviari*⁷

Tam pulchellula,
mea stellula,
es et blandula,
ut si per viam
quandoque ititas
aut te portitat⁸
in ulnis suis
soror Clœlia,
occursant⁹ tibi
omnes comiter
ac simul volunt
oscularier
suavissimum
oscillum hoc tuum,
omnes expetunt
basiarier
hoc labellulum
elegantulum
mollicellulum.

vii. *Baubitantem catulum et maumitantem catam animadvertis dum sua infantula ubera sibi sugit; et indicat cur id faciant*¹⁰

Ubera dum sugis, sugis dum, Clœlia, mammas,
baubitat hinc catulus, maumitat inde cata.
Forsitan ore fament, sed de istis, pupa, papillis
præter te succant nec cata nec catulus.
Hæc tibi turgescunt solum, tibi, pupula, solum hæc
ubera lactescunt dulciter et satire.
Sed cata fortasse et catulus tibi, pupula, baubat
et maumat somnum dum mihi tu renuis.
Ut ne igitur baubet catulus, ne fuscula maumet
ore cata, obdormi tu, bona pupa, mihi.

viii. *Nutrix invitat somnum*¹¹

Dum vagit mea pupa mihi, dum bellula vagit,
hos ad vagitus, somnule blande, veni.
Dum sibi lacrimulis teneros corruptit ocellos,
has ad lacrimulas, somnule blande, veni.
Dum mihi submordet mammas, dum crudula mammas
prensitat, ad mammas, somnule blande, veni.
Dum mihi subridet tenero mellita labello,
hos ad subrisus, somnule blande, veni.
Huic dum næniolam canto, dum nænia nanna,
has ad næniolas, blandule somne, veni.
Somne, veni, pulchelle, veni, mellitule somne,
somne, puellarum dulcis amice, veni.

IX. *Infantulæ suæ, quæ diu iejunula mansitavit, ubera porrigit*¹²

Tempus adest quo, pupa, meas iejunula mammas¹³,
turgida quo sugas ubera tempus adest.
Tres tantum suctus aut quattuor ore dedisti
 hoc mane uberibus pendula, pupa, meis ;
et nunc Vesper adest et nunc lux ima serescit
 et, ni decipior, nunc sitibunda fames.
Suge igitur mammas, mammas mihi, pupula, suge,
 suge ah mammiculas, pupula, dulciculas.
Te volo lactatam, multo te lacte tumentem
 multoque epotam te ubere, pupa, volo.
Te volo pinguidulam (pingues facit esse puellas
 uber lactatus), te volo pinguidulam.
Suge igitur mammas, mammas mihi, pupula, suge,
 suge ah mammiculas, pupula, molliculas. ■■■

1. Pp. 105-106 (suavium 1 - nænia 76). Huius carminis versio Italica legitur apud Arnaldum Bonaventura, *La poesia neo-latina in Italia dal secolo XIV al presente. Saggio e versioni poetiche* (Tiferni Tiberini, 1900), pp. 257-258.

2. Interdum *mi pro mea* admittitur : cfr. K.E. Georges, *Lexikon der lateinischen Wortformen* (Lipsiae, 1890 = Hildesiae, 1967), pp. 423-424.

3. Cfr. Catull. 5.

4. surpiunt *scripti* : surpuunt *ed.*

5. delicatula *scripti* : diligatula *ed.*

6. suam *scripti* : suam suam *ed.*

7. P. 107 (suavium 3 - nænia 78).

8. portitat *scripti* : portitas *ed.*

9. Sic pro occurrent. Propositiones consecutivæ apud Murtolam indicativum haud semel regunt ; qua ille in re inferioris ætatis scriptores nescio qua de causa imitari voluisse mihi videatur ; obidipsum formas eas indicativi tollere non ausim (cfr. J.B. Hofmann - A. Szantyr, *Lateinische Syntax und Stilistik*, Handbuch der Altertumswissenschaft, II, 2, 2 (Monachi, 1965), p. 639 (§ 346, 1, b)).

10. Pp. 133-134 (lactatus 12 - nænia 102).

11. P. 13 (nænia 1).

12. P. 123 (lactatus 1 - nænia 91).

13. mammas *scripti* : mammat *ed.*

14. Maumandi verbum sæpe legitur apud poetas recentiores ; quod exemplo baubandi creatum esse suspicor.

APPENDIX : Index verborum non antiquorum

- baubitare = baubare : VII, *tit.* ; VII, 2
blandidulus = blandulus : IV, 3 ; IV, 10
cantillare (altera syllaba longa) = cantilare (correpta syllaba altera) : IV, 1
cata (correpta syllaba priore) = catta : VII, *tit.* ; VII, 4
columbula = columba : V, II
crudulus = crudus, crudelis : III, 3 ; VIII, 5
delicatulus = delicatus : V, 39
elegantulus = elegans : V, 37 ; VI, 18
famere = famescere, esurire : VII, 3
fusculus = fuscus : VII, 9
genula = gena : II, 17
iejunulus = iejunus : IX, *tit.* ; IX, I
labellulum = labellum : VI, 17
lusillus = lusus : IV, 10
manula = manus : II, 18
maumitare = maumare¹⁴ : VII, *tit.* ; VII, 2
maumare = felire, queri (de felibus dicitur) : VII, 8 ; VII, 9
mollicellulus = mollicellus : V, 40 ; VI, 19
n(a)eniola = n(a)enia : IV, 1 ; VIII, 9 ; VIII, 10
nanna = interiectio neniarum soporiferarum (cfr. Tusce *ninna nanna*) : VIII, 9
oscillum = parvum os (extat vox apud antiquos sensu diverso) : II, 17 ; VI, 14
pedulus = pediculus, parvus pes : II, 18
pinguidulus = pinguiculus : IX, II ; IX, 12
portitare = portare (at cfr. *Thes. ling. Lat.* X, 2, p. 41, ll. 31-33) : VI, 6
pulchellulus = pulchellus : V, 13 ; VI, 1
pupillula = pupula : V, 33
sature = satis, admodum : VII, 6
sericulus = sericus : II, 12
somnillus = somnus : IV, 13
somninulus = somnus : IV, 13
somnulus = somnus : IV, I ; IV, II ; IV, 14 ; VIII, 2 ; VIII, 4 ; VIII, 6 ; VIII, 8
suctare = sugere : VII, 4
subrisus = risus, subrisio : VIII, 8
tibiola = tibia : II, 18

DE STREPITV AERINAVIVM

- *scripsit Laurentius Chareyre* -

Non tractabo de ipsis motris, quæ aerinaves promovent et noxiōrum strepitum causæ sunt, sed potius explanabo quomodo reipublicæ regimen hanc quæstionem consideret et quibus legitimis modis cives ab aerinavium strepitu protegi conentur.

Sic videbimus :

- quomodo metiendi sint hi strepitus et quales sint mappæ strepituum ;
- quibus legitimis modis a strepitibus aerinavium protegi possimus ;
- quibus societates aeronauticæ incitentur ad strepitus minuendos ;
- quibus novis modis technicis strepitus aerinavium minui possint.

QUOMODO METIENDI SINT AERINAVIUM STREPITUS ET
QUALES SINT MAPPÆ STREPITUUM

Mensurae sonituum

Si quid modo scientifico tractare volumus, oportet accuratæ mensuræ fieri possint ; hoc etiam valet pro sonis.

Complures unitates ad sonorum mensuras specstantes excogitatæ sunt ; hic tamen tantum loquar de eis, quæ lectoribus usui erunt ad quæstionem tractatam intelligendam.

Imprimis huic magnæ difficultati occurrimus, quod strepitus non eodem modo omnibus sunt molesti ; ei, exempli gratia, qui aerinaves amant vel qui in aeroporto quodam laborant, strepitus facilius patiuntur quam ceteri.

Sonitus autem aerinavium perfacile metiri possunt. Ab omnibus notum est dB (i.e decibelum, decima pars unitatis, quæ vocatur « belum » in honorem physici Americani Graham Bell ; hac unitate mensuratur potentia soni), quo sonitus mensurantur secundum scalam logarithmorum ; differentia unius dB minima est, quam aures humanæ discernere valent.

Ceterum patet sonos eo molestiores esse quo stridentiores. Itaque alia unitas creata est, dBA (decibelum acutum), sed hoc non sufficit. Aerinavis enim ad appellendum appropinquans, etsi minus stridens quam avolans, tamen nobis videtur incommodior, quia diutius durat appropinquatio quam avolatio.

Quare alia unitas creata est pro ratione temporis spatii, quæ dicitur EPNdB (Effective Perceived Noise dB). Eius nomen ab Anglicā lingua procedit et significat sonitum re ipsa perceptum. Quæ unitas EPNdB adhibetur ad aerinavium sonoritatem metiendam, antequam licentia appellandi eis detur.

Patet etiam strepitus molestiores esse, cum percipi-

piuntur horis quietis vel somni. Quamobrem ultima unitas creata est, quæ iterum ab Anglicā lingua procedit, scilicet LDEN (Level Day Evening Night, i.e. gradus diurnalis, vespertinus, nocturnus), ut omnes difficultates solverentur. Temporis igitur spatium in tres partes dividitur, quæ sunt interdiu a sexta hora matutina usque ad decimam sextam, vespere a sexta decima usque ad vicesimam secundam et postea nocte usque ad sextam matutinam. Eadem unitas adhiberi potest in aliis modis vehendi, i.e. autocarris, autorædis et tramini ferrivario.

Mappæ sonorum hoc modo conficiuntur : unitas LDEN adhibetur ad sonos metiendos in aeroporto circumiectis ; in circumiectorum mappa ducuntur lineæ per puncta eiusdem soni gradus ; sic apparent areae maximi strepitus secundum semitas avolationis et appulsus sitæ.

Sic duæ mappæ describuntur, similes modo descriptionis sed usu dissimiles.

Mappæ PGS et PEB

De his duabus mappis statutum est lege 85-696, die II m. Iulii a. 1985 promulgata et decretis die 26 m. Aprilis 2002 in publicum propositis ; agitur de ædificiis circum aeroportum exstruendis.

Cum PGS (id est Francogallice « Plan de Gêne Sonore ») est mappa molestorum sonorum, tum PEB (id est Francogallice « Plan d'Extension du Bruit ») est mappa sonorum extensionis.

Mappa PGS adhibetur ad detrimenta sacerienda, quæ propter strepitus patiuntur homines iuxta aeroportum habitantes ; mappa autem PEB adhibetur ad ædificationem in certis locis prohibendam.


Mapa PGS præfecti iussu statuitur et postea a municipalibus electis divulgatur. Regiones aeroportui propinquas delimitat, quarum incolæ aerinavium strepitum mox patientur, i.e. in sequenti anno, cum perficiantur aeroportus armamenta, quorum exstructio iam est decreta, et orientur incolarum querelæ.

In Francogallia, duodecim maximi aeroportus prædicti sunt tali mappa, inter quos duo Lutetiæ, unus Nicææ, Massiliæ, Lugduni, Burdigalæ, Tolosæ, Argentorati, Namnetibus, Basileæ (quæ civitas est et Helvetica et Francogallica).

In hac mappa areae strepitum divisæ sunt in partes tres, scilicet :

- Zona A, prope et secundum semitam appulsus et avolationis, ubi strepitus et molestia maximi sunt (mensura unitatis LDEN facta crescit usque ad 70).
- Zona B circum zonam A patet, ubi iam minores sonitus audiuntur (LDEN ab 70 usque ad 65 vel 62).

- Zona C, zonam A et B cingit. In hoc spatio, sonitus aerinavium, quamquam minimi, tamen ab incolis habentur molesti (non ultra 55 LDEN).



Simili modo, ut supra dixi, mappa PEB describitur, sed licet præfeto, si utile ei visum est, quartam zonam D addere. Hæc ultima zona solum maximis aeroportibus necessaria est.

Hæc extensionis mappa molestiam sonorum effingit, non qualis est, sed qualis erit in decem aut quindecim annos ; agitur de futuris molestiis.

Igitur hæc mappa pendet a cottidiano aerinavium commeatu, qualis erit in decem vel quindecim annos, a frequentia avolationum et appulsuum, a nocturno commeatu, ab aeriis viis et distributione aerinavium inter has aerias vias.

Pæne trecentæ mappæ PEB hodie statutæ sunt.

Utraque mapa constituitur insignibus diebus ubi quanta necessaria tanta indica sonitus, discursus aerinavium, viarum aeronauticarum dispersarum et numerorum appulsuum evolationumque, partem habent.

QUIBUS LEGITIMIS MODIS A STREPITIBUS AERINAVIUM PROTEGI POSSIMUS

Adiumentum a reipublicæ regimine datum

Adiumentum quoddam nummarium incolis tribui potest ad domum contra strepitum muniendam, his tamen duabus condicionibus :

- oportet domus in una ex tribus zonis mappæ PGS sita sit. Adiumentum eo maius tribuitur, quo propius semitæ est domicilium.
- oportet licentia domus ædificandæ data sit ante promulgationem mappæ PEB.

Hæc promulgatio, exempli gratia pro aeroporto Parisino Caroli de Gaulle, facta est die 7 m. Martii a. 1977 et pro altera eius parte die 9 m. Junii a. 1989 ; pro aeroporto Orly facta est die 3 m. Septembris a. 1975. In curia Parisina, ubi sedet burgimagister, has mappas inspicere licet.

Adiumentum nummarium etiam tribui potest ædificiis, ubi docetur vel ubi præbetur auxilium civile. Ii qui inquilini sunt adiumentum etiam accipere possunt, sed ad opera in domo suscipienda oportet habeant possessoris licentiam.

Telephonico numero, qui « viridis » dicitur, plures explanationes dantur, si necesse. Missa adiumenti petitionis formula, si valida agnoscitur, regimen technicos mittit, qui, ut medici (eorum enim vocabularium hac in re adhibetur), comperto strepitu, remedia propounderunt, i.e. munimenta ad noxios sonos opprimendos. Pro hac inspectione iam solvitur pars adiumenti ; reliqua pars tantum solvitur post opera perfecta et probata ; licet enim regimini, antequam omnia solvantur, inquirere num opera cum proposito sint consentanea, ne pecunia ad aliud propositum destinetur.

Associationes incolarum

Aeroportus accolæ defenduntur associationibus, quæ vocantur « Commissions consultatives de l'environnement » (CCE, i.e. Commissiones consultatoriæ de circumiectis), quibus includuntur « Commissions Consultatives d'Aide aux Riverains » (CCAR, i.e. Commissiones consultatoriæ aeroportus accolis adiuvandis) ; accolæ possunt etiam rem referre ad ACNU-SA (Autorité de contrôle des nuisances aéroportuaires, i.e. regimen aeroportuum noxiis speculandis).

Multi aeroplanorum gubernatores sodales sunt harum associationum, quasi eos pænitent strepitum auctores esse ; certe plane sciunt, quomodo domicilia protegenda sint.

QUOMODO SOCIETATES AERINAVIUM INCITENTUR AD STREPITUS MINUENDOS

Cum sonituum mappæ EPNdB unitate statuuntur, tum aerinavium soni LDEN unitate mensurantur ; sic aerinaves distribui possunt in complures noxiæ categorias. Sic paulatim aerinaves nimis sonoræ ab aeronauticis classibus eliminantur.

Categoriae sonoræ

Tres sunt categoriae :

- in prima categoria sunt aeroplaena maxime sonora, sicut Caravelle ; a nonnullis iam annis gradatim tolluntur ac mox omnino prohibentur ;
- secunda categoria pertinet ad aerinaves annis 1970 confectas. Tales sunt Boeing B707, B727, B747 et primæ machinæ B737, quæ nunc prohibentur in Europa a primo die mensis Aprilis 2002 ;
- tertia categoria pertinet ad recentiores machinas. Tales

sunt Airbus et nova exemplaria B737 vel B747 ;
 - insuper aliqua quarta categoria creata est anno 2002.
 Sic aerinaves nimis sonoræ ab aero commeatu
 pedetemptim tolluntur.

ACNUSA

ACNUSA (Autorité de Contrôle des Nuisances Aéroportuaires, i.e. regimen aeroportuum noxiis speculandis) est publica societas quæ noxias aeroportibus factas speculatur. In ea consulunt novem homines, quorum duo a Republica designati sunt et alii periti sunt noxiarum aeroportuum aerinaviumque.

Quales partes agit hæc societas ?

- monet ut sonitus mensurentur et quomodo metiendi sint ;
- inspicit obligationes Reipublicæ et aeroportuum et societatum aerinavium. Quibus societatibus multca irrogatur ab ACNUSA, si iussa non respexerunt ;
- palam certiorem facit populum Francogallicum de molestia sonituum ;
- pro parte sua operam dat ad sonorum mappas confiendas.

Deminutio aerinavium motuum

Aeroplanorum appulsus vel avolatio vocantur « motus » a regimine viarum aeriarum. Publicum regimen in Francogallia et Europa favet maximis aerinavibus, quia quo plures aerinavi insunt sedes, eo pauciores necessarii sunt motus. Spes ponitur in aerinave Airbus A380, qua nulla maior est, cum 550 et mox 800 vectores capere possit. Præterea hoc aeroplanum præditum est motris, quæ minorem strepitum edunt. Tantæ tamen aerinaves solum in maximos optimeque instructos aeroportus accipi poterunt.

Incitatio nummaria

Vectigalium deminutio conceditur aerinavium societatibus, quæ curant ut strepitus minores fiant.

QUIBUS NOVIS TECHNICIS MODIS STREPITUS AERINAVIUM MINORES FIERI POSSINT

Vias aerias mutare

Volatus prope solum minuere est scopus simplex, cuius tamen exsecutio difficilis est, præcipue in aeroportibus maximarum urbium.

Si una via mutatur, ceteræ etiam sunt mutandæ ; novæ mappæ PGS et PEB conficiendæ sunt. Longum sit de Parisina condicione narrare. ACNUSA, anno 2002, autumavit tales mutationes non solum noxias fore accolis, sed etiam humiliores volatus frequentiores

fore. Iure accolæ querebuntur !

Aliud exemplum affero : si aeroplanum ab aeroporto Caroli De Gaulle avolet Monachum in Bavariam brevissimo itinere petiturum, iter sit circiter 320 nauticorum milium. Ad strepitum minuendum, oportet iter sit 339 n.m. Si regimen omnibus incolis suburbanis placere vellet, iter usque ad 370 n.m. longius fieret. Quid eligendum est ? Minores strepitus an deterior aer ?

Forma aerinavis et motra

Duo sonorum genera ex aerinavibus oriuntur. Alterum pendet a forma aerodynamica ; agitur de turbinibus sonoribus, quas celeritas circum aerinavem excitat. Alterum gignitur gasorum fluentis, quæ emitunt motra.

Deminutio horum amborum sonorum fieri potest.

Forma aerodynamica

Omne, quod aerem fricat, sonum reddit. Exempli gratia, cum aerinavis rotæ ante appulsum e carina extrahuntur, satis stridulus sonitus auditur. Forma aerodynamica rotarum alarumque aerinavis A380 optimæ est.

Motra

Duo gasorum fluenta e motris pyraulocinetis emittuntur, alterum frigidum, alterum calidissimum. Petrolei combustio gignit magnam copiam gasorum calidissimorum, quorum directa emissione propellitur aeroplanum. Motra ita confecta sunt, ut gasa calida emissione aeris frigidi circumdentur, quo fit ut strepitus, quos gignunt gasa calidissima, minuantur. In aerinave A380, verbi gratia, minores facti sunt motorum strepitus.

Usus novarum materiarum

Novæ materiæ fabricantur, alveatæ instar apium nidorum, quæ minorem strepitum gignunt.

CLAUSULA


Quamquam de strepitu multum queruntur incolæ, tamen regimen nostrum mihi videtur detrimentum a strepitu ortum honeste sarcire.

Certe apud nos Francogallos pedetemptim progreditur regimen, cito incolis querentibus, semper ingenariis providentibus... Quomodo res agitur extra Francogalliam ? ☺

NOVI LIBRI

- *quos ostendit Francisca Deraedt* -

Erasmus his temporibus multum celebratur, ut patet. Non pauci enim libri nuper editi sunt, pulchri et boni, quibus oculi delectantur animusque ditatur.



Exhortatio ad studium euangelicæ lectionis est proœmium *Paraphrasis in Euangeliū Matthæi*. In ea tractantur quæstiones non parvæ, quæ non solum ad theologiaem, sed etiam ad hominum societatem ordinandam pertinent : quo modo laici ad Sanctam Scripturam possunt accedere ? Suntne illitterati ab ea prohibendi ? Potestne eadem in linguas vernaculae verti ? Hæ quæstiones etiam aciores evaserunt post typographiam inventam. Erasmus alta voce prædicat omnes homines, etiam simplicissimos, quippe quos Christus potissimum curaverit, ad Euangeliorum lectionem esse admittendos : « Porro cum in iis hortis varia genera deliciarum nascantur, decerpit sibi quisque quod commodum est. Consideremus quos auditores habuerit ipse Christus, nonne promiscuam multitudinem, et in hac cæcos, claudos, mendicos, publicanos, centuriones, offices, mulieres ac pueros ? An gravetur ab iis legi a quibus voluit audiri ? Me quidem auctore leget agriculta, leget faber, leget latomus, legent et meretrices et lenones, denique legent et Turcae ! » (p. 66 ; vide librorum descriptiones p. 16). Haud mirum si hæ lineæ ab inquisitore sublatæ sunt ; ceterum peropportune fecerunt huius operis editores, qui signaverint sententias ab Ecclesia illo tempore condemnatas.

Erasmus autem, quamvis linguam Latinam studiosissime colat, plane declarat se Scripturarum vernaculae versioni favere, simili de causa, ut accessus ad

Euangelia detur omnibus : « Cur indecorum videtur, si quisquam sonet Euangelium ea lingua qua natus est et quam intelligit : Gallus Gallica, Britannus Britannica, Germanus Germanica, Indus Indica ? Mihi magis indecorum vel ridiculum potius videtur, quod idiotæ et mulierculæ, psittaci exemplo, psalmos suos et precatio nem dominicam latine murmurant, cum ipsæ quod sonant, non intelligent. Ego cum divo Hieronymo sentiens, citius gratuler gloriæ crucis, magnificumque cumprimis ac triumphale duxerim, si linguis omnibus ab omni hominum genere celebretur, si stivam tenens arator aliquid sua lingua decantet e psalmis mysticis, si textor assidens telæ, nonnihil ex Euangeliō modulans soletur labore, hinc nauclerus affixus clavo cantillet aliquid, denique ad colum sedenti matronæ, sodalis aut cognata hinc recitet aliquid. » (p. 88).

De feminis quoque educandis Erasmus inveteratas consuetudines frangere contendit. Inter eius *Colloquia* unum e pulcherimis, *Abbatis et eruditæ* inscriptum, in scènam inducit mulierem librorum studiosam (et quidem Latinorum Græcorumque !) atque abbatem indocum voluptatibusque deditum. Magdaliam se præbet feminam liberam, quæ non timet stulta Antronii argumenta unum post alterum refutare : « Magdaliam. An hominem esse censes, qui nec sapiat nec velit sapere ? Antronius. Mihi sapio. M. Et sibi sapiunt sues. M. Videre mihi sophistria quæpiam, ita argutaris. M. Non dicam quid tu mihi videaris. Sed cur hæc displicet supellex ? A. Quia fusus et colus sunt arma muliebria. M. Nonne matronæ est administrare rem domesticam, erudire liberos ? A. Est. M. An rem tantam existimas administrari posse sine sapientia ? A. Non arbitror. M. At hanc sapientiam docent me libri. A. Ego domi habeo sexaginta duos monachos, tamen nullum librum reperies in meo cubiculo. M. Bene itaque prospectum est monachis illis. A. Feram libros, non fero Latinos. M. Quapropter ? A. Quia non convenit ea lingua feminis. M. Expecto causam. A. Quia parum facit ad tuendum illarum pudicitiam. M. Ergo nugacissimis fabulis pleni libri Gallice scripti faciunt ad pudicitiam ? A. Aliud est. M. Dic istud quicquid est, aperte. A. Tutiiores sunt a sacerdotibus, si nesciant Latine. » (p. 20-22).

Cum Magdaliam spectamus, cum pulchram imaginem huius doctæ feminæ consideramus, facere non possumus quin de Thoma Moro Erasmi amico cogitemus deque filiabus eius, quæ contra mores illius temporis liberali educatione fructæ sunt Latineque sciverunt et scribere et loqui.

Iacobus Jauniaux, artifex Belga, cum colloquium *Abbatis et eruditæ* legeret, singulariter tactus est hac Magdaliæ sententia : « Quod nisi caveritis vos, res eo tandem evadet, ut nos præsideamus in scholis theologicis, ut contionemur in templis. Occupabimus mitras vestras. » Quæ verba facetis delineamentis ita illustravit, ut miser abbas etiam stolidior videatur, perditus, pusillus, a triumphanti muliere definitive captus et devictus.

Illis arduis temporibus, quibus bella ubique sævierant, Erasmus omnimodis enisus est ut pacem concivibus suaderet. Difficilis autem erat quæstio Turcorum, quorum vastationes Europæ imminebant. Certe Erasmus christianitatis victoriam expedit, attamen horretur ut populi Deum vita pia concilient.

Iam in proverbii, quod est « Dulce bellum inexperitis », enarratione summe pacifica, argumentum erat hoc modo tractatum : « Mihi sane ne hoc quidem adeo probandum videtur, quod subinde bellum molimur in Turcas ; male profecto agitur cum religione christiana, si illius incolumitas a talibus pendet præsidii. Neque consentaneum est his initii bonos gigni christianos ; quod ferro paratum est, ferro vicissim amittitur. Vis Turcas ad Christum adducere ? Ne ostentemus opes, ne militum manum, ne vires ; videant in nobis non titulum tantum, sed certas illas hominis christiani notas : vitam innoxiam, studium benemerendi etiam de hostibus, invictam omnium iniuriarum tolerantiam, pecuniæ contemptum, gloriæ neglectum, vitam vilem ; audiant cælestem illam doctrinam cum huiusmodi vita congruentem. His armis optime subiguntur Turcæ. Nunc sæpenumero mali pugnamus cum malis. Dicam aliud, et utinam audacius quam verius : si titulum crucisque tollas insigne, Turcæ cum Turcis digladiamur. Si militum manu constituta est religio, si ferro confirmata, si bellis aucta, tueamur eam iisdem præsidii ; quod si diversis rationibus peracta sunt omnia, cur veluti Christi prædio diffisi ad ethnicas confugimus suppicias ? At cur non iugulem', inquiunt, 'eos qui nos iugulant ?' Itane putas indignum, si quis sit te scelerator ? 'Cur non spolias spoliantem ? Cur non conviciaris conviciant ? Cur non odisti odio habentem ?' An christianum facinus esse putas si, trucidatis impiis quidem, ut nos arbitramur, sed tamen hominibus, pro quibus servandis mortuus est Christus, gratissimam diabolo victimam mactes bisque delectes hostem, et quod occiditur homo et quod occidit christianus ? Plerique, dum volunt videri valde christiani, student Turcis quam plurimum facere mali ; et quod facere non possunt, execrantes imprecantur, cum hoc ipso argu-



mento parum christianum liceat deprehendere. » (Adagium 3001, ASD VII-7, p. 38).

Postea, anno 1530, a Iohanne Rinck Germano iuris perito de hac re interrogatus, Erasmus opusculum conscribit cui titulus est *Consultatio de bello Turcis inferendo*. In quo non solum simplices homines, sed etiam theologos, monachos, principes hortatur ut ad vitam redeant sanctiore. Patet tamen eum decernere sive nolle, sive nequire, num bellum sit contra Turcas gerendum necne : « Interim mihi paucis rixandum est cum duplici hominum genere, quorum alteri perperam ad bellum Turcarum inflammati sunt, alteri perperam dehortantur ab armis in Turcam movendis. Nam utrique mihi videntur diversa quidem ratione, sed pariter tamen peccare. Ut enim non omne cum Turcis bellum legitimum ac pium est, ita incidit, ubi non obstante Turcæ, nihil sit aliud quam prodere rem christianam immanissimis hostibus, ac fratres nostros illorum indigna servitute pressos deserere. Cum imperita multitudo Turcarum nomen audit, protinus concipit animo graves iras, et ad cædem inflammatur, canes et christiani nominis hostes illos vociferans ; non reputans illos primum esse homines, deinde semichristianos, nec expendens an legitima sit belli causa, postremo an expediat arma capere, et hostem lacessere truculentius sæviturum ; nec cogitans nullos esse perniciosiores ecclesiæ hostes, quam impios principes, præcipue sacros, postremo non animadvertis interdum Deum nostris sceleribus offensum ad emendandos nos abutiri barbarorum immanitate. Atque interim pinguntur nobis exempla Turcicæ crudelitatis. Atqui ea res nos admonere deberet quam æge sit omne bellum cum

BIBLIOTHECA LATINA

quoquam suscipiendum. Nam hic est omnium bellorum communis ludus, quibus christiani cum christianis tot iam annis impie conflictamur. » (ASD v-3, p. 52)

Non solum Erasmus, sed etiam Vitruvium, Donatum, Fénelon, Chateaubriand, Rimbauld, Cézanne, multos alios in libro suo memorat Maria Theunissen-Faider. Quæ magistra linguæ Latinæ et Græcæ undecumque semper flosculos decerpit, quibus discipulos allicet ad animi culturam. Et ecce hos flores in fasciculum peropportune collectos ; lectores textibus rarís, varietate argumentorum, descriptionibus commentariisque delectati desiderio studiorum suorum classicorum non poterunt non affici.

Erasmus, Paracelsus, Scaliger, Theodorus Beza, Iohannes Sapidus, Iohannes Gracchus Pierius, Polyander, Lycosthenes Psellionoros Andropediacus : quanam ratione sexto decimo sæculo scriptores nomen eruditum sibi eligebant ? Quæ fuit utilitas nominis mutandi ? Quam sui imaginem auctores sic palam ostendere voluerunt ? Hæc omnia a Rainardo Bodenmann explicantur libello non solum docto, sed lectu vere iucundo.

Atque si hos libros legentes insuper Latinam musi-
cam audire cupitis, ecce phonodiscus Finnicus.
Carmina proponuntur excerpta e versione, quam de
Kalevala nationis Finnicae carmine epico Tuomo
Pekkanen anno 1986 primum divulgavit. Musici melo-
diis translaticiis usi sunt ut verborum redderent vim
poeticam. ☺



Erasmus, *Exhortatio ad studium euangelicæ lectionis*, I. Texte latin et traduction moderne, II. Texte latin et traduction ancienne (1563), éd. Guy Bedouelle, Jean-François Cottier et Alexandre Vanautgaerden, Brepols & Musée de la Maison d'Érasme, 2005, 157 et 193 p.
ISBN 2-503-51706-4 et 2-503-51817-6
www.erasmushouse.museum

Erasmus, *Abbatis et eruditæ*, texte latin et traductions de Clément Marot (1536) et Gaston Compère (2006), Bruxelles, Musée de la Maison d'Érasme, 2006, 35 p.
ISBN 2-930414-09-x
www.erasmushouse.museum

Jacques Jauniaux, *On vous piquera vos mitres*, Bruxelles, Musée de la Maison d'Érasme, 2006, 38 p.
ISBN 2-930414-10-3
www.erasmushouse.museum

Érasme, *La guerre contre les Turcs*, traduit du latin par Alain Van Dievoet, préface de Jean-Pierre Vanden Branden, Bruxelles, Éditions du Hazard, 2006, 102 p.
ISBN 2-930154-13-6

Marie Theunissen-Faider, *Vagabondage à l'ombre des auteurs antiques*, Bruxelles, Musée de la Maison d'Érasme, 2006, 261 p.
ISBN 2-930414-13-8
www.erasmushouse.museum

Reinhard Bodenmann, *L'auteur et son nom de plume*, Bruxelles, Musée de la Maison d'Érasme, 2006, 53 p.
ISBN 2-930414-11-1
www.erasmushouse.museum

Kalevala Canora. Grex Karelia cum cantoribus Latine canit, IMU-CD 051
www imu fi

In hoc fasciculo !

- De Deo capto [G. Licoppe] p. 1
De Villa Hadriana (II) [G. Licoppe] p. 3
De condicionibus usus linguarum socialibus (II) [L. Willemarck] p. 6
Poemata Gasparis Murtolæ (II) [Th. Sacré] p. 9
De strepitu aerinavium [L. Chareyre] p. 11
Bibliotheca Latina [F. Deraedt] p. 14*

Imago tegumenti : exhibitio aeronautica Bruxellis anno 1911 facta.

LATINE LOQVI...

SYMPOSIVM BRVXELLENSE

instituet Melissa d. 6-13 m. Augusti a. 2006,
auspiciis Academiæ Latinitati Fovendæ

Proxima æstate Melissa symposium Latinum in urbe Bruxellis instituet. Hoc symposio, quod volumus esse iucundum sodalium concilium, participibus dabitur occasio de variis argumentis disputandi, quæ Latinistis cordi esse solent. Eis autem, quibus loquela Latina nondum est consueta, exercitationes Latine loquendi proponentur.

Pretium
- *inscriptionis :*
 - *adultis : 50 eur.*
 - *discipulis et studentibus : 25 eur.*
- *pernoctationis et victus : 250 eur.*
 - *externis : 18 eur. singulis diebus pro œco et prandio.*



Qui participare cupiunt nos certiores faciant.

ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ CONVENTVS

In Hispania, Alcannizii et Ampostæ, d. 24-28 m. Iulii.
¶ joaquin.pascual@uca.es

AMICITIA CATHOLICA PRO LATINITATE

In Germania prope Coloniam, d. 16-22 m. Iulii.
¶ dominique.viain@wanadoo.fr

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexintoniæ in America, d. 14-23 m. Iulii.
¶ Prof. Terentius Tunberg : clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM

In Civitate Vasintonia d. 25 m. Junii - 1 m. Iulii.
¶ http://www.wenval.cc/boreoccidentales/

FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, 31 m. Iulii - 7 m. Augusti. ¶ marie-antoinette.avich@wanadoo.fr

SEMINARIVM PRAGENSE

A L.V.P.A. institutum, 31 m. Iulii - 6 m. Augusti.
¶ www.lvpa.de/

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 23-29 m. Iulii. ¶ in Belgica in abbatia Maretoliensi : 6-12 m. Augusti. ¶ Societas Latina : s.albert@mx.uni-saarland.de

SEPTIMANA AMCŒNEBVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere, 29 m. Iulii - 5 m. Augusti. ¶ www.septimanalatina.org